G.VII.Ehr 21558/B

5. E. 11155 65

JOSEPHI EHRNSTEIN,

AUSTRIACI VINDOBONENSIS

DISSERTATIO

INAUGUR. MEDICA

DE

PESTE.



VIENNÆ,

TYP. JOANN. THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,

SAC. CÆS. REG. MAJEST TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXXI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DE PESTE.

Gravem, terrificum, plurimos afficientem, plurimiſque ægris exitialem, epidemice graſſantem morbum *Peſtis* nomine intellexerunt omni tempore mortales; immo vero eodem nomine quidam appellarunt ægritudinem, ſive *epidemicam*, ſive *ſporadicam*, quæ ſymptomatum ſuorum ſimilitudine naturam, & originem cum peſte eandem teſtaretur, licet nec ſtragium numero, nec ſymptomatum malignitate foret cum illa comparanda. Cum

vero nunc deſcriptam peſtem viderent fere ſemper ſtipari *bubonibus*, *parotidibus*, frequentiſſime *carbunculis*, *puſtulis*, non raro *petechiis*, aut *maculis* his ſimilibus dictas eruptiones pro *eſſentialibus* habebant, quas in peſte, ſi etiam non ſemper expelleret, ſaltem expellere moliretur natura, ut adeo has pro ſignis pathognomicis hujus morbi ſtatuerent quam plurimi, ſi modo malignorum ſymptomatum ſatellitio eſſent ſtipatæ, aut ſaltem epidemice, licet benigniter, dominarentur eodem tempore, quo peſtis vigeret vulgaris. Sed neque dicta axanthemata, nec malignitas epidemiæ ſufficiunt aliis, ut peſtem talem pronunciarent morbum, ſi non contagioſus eſſet; & quoniam in Europa hic morbus vix unquam obſervatus fuit, niſi ſit huc ex regionibus Orientalibus, mari mediterraneo adjacentibus, advectus, hinc ut in cognitionem morbi hujus deveniant, plures circumſtan-

tias

tias conſiderant, quibus doceantur, an hic morbus ex illis regionibus per contagium huc fuerit allatus, ſimulque non unum, alterumve, ſed plurium ſymptomatum ſyndromen conſulunt.

Verum quidem eſt, hanc eſſe unicam forte ex plurimis aliis peſtis ſpeciem, ſed eſſe tamen *illam*, quæ nos Europæos quam maxime contingit; & proinde ſpecialem attentionem meretur.

Ad firmandam *Peſtis Diagnoſim* lucem afferre poterunt ſequentia: *1mo Ortus*, qui doceat contagium; ſi non obſervetur morbus in illis, qui vitant conſortium cum aliis, aut contrectationem rerum affectarum; ſi peſtis ſit in locis vicinis, aut etiam remotis, unde miaſma adferri potuit per homines, aut fomitem in mercibus, veſtibus &c. ſi illi primi fuere affecti, qui conſortium habuerunt cum advenis, aut qui res infectas ex illis regionibus allatas contrectarunt; ſi morbus propagetur in vicinitate, fa-

milia, conſanguinitate primi infecti, ordine, & modo morbis contagioſis proprio.

2do. *Natura morbi*, qui ſolet eſſe maxime acutus, & malignus, ſæpe ante quartum diem occidens, plures e medio tollens, quam in ſanitate relinquens.

3tio. *Symptomata morbi* plerumque talia, qualia in *typho*, horrores, & calores alternantes, ſumma virium proſtratio, capitis gravitas, dolor, temulentia, ebrietas, bubones, præcipue ſi illi etiam in mitiori morbo ſoleant erumpere; carbunculi, petechiæ, aliquando etiam poſt mortem apparentes.

Si morbus levioribus etiam ſymptomatibus decurrat, origine tamen & ſymptomatum præcipuorum decurſu typum peſtis ſervet, & cauſam ejus agnoſcat, pro vero peſtilentiali habendus eſt. Poteſt igitur peſtis eſſe aliquando benigna.

Licet *bubones* in nullo alio morbo tam frequenter occurrant, ac quidem

in

in peſte, tamen ubi mitis admodum morbus, aut graviſſimus cum ſumma virium proſtratione invadit, nullus aliquando bubo ſe ſe manifeſtat, & irrita tum apparere ſolent dictæ eruptionis molimina; vel ſi germen bubonis erumpit, illud aut recedit, aut non creſcit, & vix dolet cum peſſimis morbi rebus.

Bubonis eruptio ſolet fieri ſemper initio morbi in ipſa horripilatione, vel paullo poſt, prima, aut ſecunda die; immo vero quandoque ante horripilationem. Modo nulla ſymptomata ejus ortum præcedunt, modo tamen dolor in iis partibus percipitur, quas bubo occupare ſolet, puta in inguinibus, ſub axillis, pone aures; rarius in maxilla, jugulo, clavicula, brachio; rariſſime in aliis corporis partibus.

Inguinales frequenter locantur duobus, aut tribus digitis transverſis infra femorum commiſſuram pone pectinem.

Subaxillares ſedem habent duobus aut tribus digitis transverſis infra cavum axillare intra muſculi pectoralis & latiſſimi dorſi tendines, utrinque admodum profunde ſepulti.

Aliquando cito, aliquando tardius diſparent, aliquando poſt notabile decrementum denuo recreſcunt, immo penitus depulſi iterum erumpunt; frequentius ſuppurantur, non raro reſolvuntur, rarius abeunt in ſcirrhum, rariſſime in gangrænam. Suppurati aliquando nullam in cute mutationem, nullam fluctuationem exhibent ob loci profunditatem.

Symptomata, quæ hos ſequuntur, & concomitantur, ſæpe mitiora ſunt prægreſſis non raro eadem, immo quandoque pejora; dum melior ab eruptione morbi ſtatus redditus eſt, tunc in urina, aut perſpiratione, & in ſudoribus criticæ evacuationis indicia præſto adeſſe ſolent.

De-

Definitus igitur *Bubo peſtilentialis*, quod ſit tumor inflammatorius, dolens, glanduloſus, plerumque mox morbi principio in recenſitis partibus ſedem figens, ſubinde reſolvendus, rarius ſcirrho, & rariſſime gangræna terminandus, plerumque in lentam abiens ſuppurationem, cum ſupra recenſitis peſtis indiciis conjunctus.

Præter nunc deſcriptum bubonem peſtilentialem datur, & dicitur quoque *Bubo venereus*, *ſcrophuloſus*, *ſcorbuticus*, *ſimplex*, *ἀπυρετὸς*, & *febrilis*.

In genere febres poſt bubonem ortæ, niſi *ephemeræ* fuerint, ſunt malæ; bubones vero febribus ſuccedentes deteriores.

Parotis eſt glandularum circa aures poſitarum tumor, a bubone ſolo ſitu diſtinguendus, plerumque tamen tardius erumpens; aliis quoque febribus *critice*, aliis *ſymptomatice* ſupervenit; plerumque diuturniores febres conſequi-

 tur;

tur; aliquando ſine ullo morbo oritur, quo in caſu repercutientibus tractari poteſt.

Febres parotidibus, aut etiam bubonibus ſtipatæ malignæ indolis, nec epidemicæ, nec contagioſæ, nomine *Peſtis ſporadicæ* veniunt SYDENHAMO, denominatione convenienti partim, & partim arbitraria a communi vocis acceptione abludente.

Anthrax (a) eſt tumor inflammatorius, cum ſuperimpoſita apici ejus veſicula, fœtens, ſphaceloſus, cutim & panniculum adipoſum ſubjectum corrumpens, & in ſiccam duramque eſcheram con-

(a) Quando carnibus ita immerſus eſt, ut extus tumor non appareat, & in circumferentia vix conſpicuus ſit rubor, nec dolor notabilis perſpiciatur, ſub veſicula autem ſphacelus latet, eſtque hæc peſſima anthracis ſpecies, occupans imprimis partes, quas carotis externa alluit.

convertens, poſt lapſum foveam cum ſubſtantiæ jactura relinquens. Alius malignis ſtipatur ſymptomatibus, qui proprie *peſtilentialis* eſt, etiamſi ſine bubonum concurſu obſervetur; alius *ſimplex benignus.*

Anthraces ſporadici potiſſimum afficiunt pauperes, ſordidos, qui carnes animalium anthrace defunctorum comedunt, & qui illorum lanas tractant, ut ſunt varii opifices, qui lavant, vel ex iisdem adipem fundunt.

Carbo, & *Carbunculus* pro ſpecie anthracis habendi ſunt. *Carbo* a ſimilitudine ligni combuſti denominatur; *Carbunculus* autem ab analogia cum lapide pretioſo ob ſplendentem, igneamque rubedinem. (a). In hoc poſt validam in-

(a) Scilicet Anthrax exulceratus, dum in ambitu dilatatur, colorem interne rubrum exhibet.

inflammationem pluribus aperturis dehiſcit cutis, & per hos hiatus corrupti panniculi adipoſi fragmenta exeunt.

In peſte, de qua agimus, ſolent carbunculi, & anthraces bubonibus ſupervenire tertia, aut quarta morbi die, vel etiam ſerius, plerumque cum prægreſſo in parte dolore, bonis ægri rebus; quarto ab eruptione die ſuppurationem inchoant, & eodem intervallo ipſam perficiunt; rariſſime ſolitarie abs-que bubonum conſortio ſe manifeſtant; non modo in externis tantum corporis partibus, ſed etiam in internis aliquando funeſto cum eventu obveniunt.

Longe pejoris indicii ſolent eſſe anthraces in peſte, quam ſint bubones; *hi* enim plerumque critici ſunt; *illi* autem magis acrem, & deleteriam miaſmatis peſtilentis indolem deſignant.

In quibusdam morbis malignis ſporadicis, & endemicis erumpunt *anthraces* ſine bubonibus, quod certe ma-

lum,

lum, ſi peſtis vocanda ſit, erit tamen diſtincta a noſtra vulgari, de qua agimus, ſi non toto *genere*, ſaltem *ſpecie*.

Ignis Sancti Antonii multum anthraci affine malum eſt.

Præter deſcriptas dantur etiam in peſte, licet minus frequenter, alterius generis eruptiones, *Puſtulæ* parvæ, albæ, lividæ, nigræ, carbunculoſæ; *tumores* inter bubonem & carbunculum *mediæ naturæ*; *maculæ* latiſſimæ, concolores rubræ, purpureæ, *petechiæ*, vel his latiores diſcretæ, lenticulares, peſſimæ.

Peſti quidem febris, & eruptiones peſtilentiales prædictæ plerumque comites ſe ſe adjungunt; fit tamen aliquando, ut, quemadmodum eruptiones peſtilentiales, & ipſa peſtis exſiſtunt ſine febre, ita febris peſtifera dira, aut mitis ſine exanthematibus, & eruptionibus dictis decurrat; hanc vero peſtiferam eſſe ex *epidemia*, *contagio*, *ſym-*

pto-

ptomatum ſimilitudine intelligimus. Mitis eſt hæc febris, dum miaſma peſtiferum ſive ex propria ſua natura imbecille eſt, ſive ex aeris ſpeciali conſtitutione ita enervatum, ut graviſſima ſymptomata producere non poſſit, nec bubones, anthraces, aut carbunculos expellere. Dum autem acutiſſima febris ſine dictis eruptionibus occidit, hoc virium imbecillitati a veneno peſtilentiali oppreſſarum adſcribi debet.

Mortes autem ſubitaneæ absque ulla febri accedentes, furente imprimis epidemicæ conſtitutionis impetu, aut in ejus invaſione, quandoque obſervantur, dum ſcilicet miaſma citius occidit, quam ut natura contra illud inſurgere poſſit.

Tria ſunt, quæ ad peſtem inducendam, & in vulgus diſſeminandam requiruntur:

Imo. Miaſma peſtiferum ex regionibus infectis allatum.

IIdo. Aëris conſtitutio.

IIItio. Subjecti diſpoſitio ad ſuſcipiendum, retinendum, & in actum deducendum prædictum miaſma.

Sedes Peſtis præcipuæ, unde ad Europæos defertur, ſunt regiones orientales, mari mediterraneo adſitæ; ibi hoc miaſma gignitur, aut conſervatur, & excitatur facilius.

Miaſma peſtiferum non tantum ægro adhæret, ſed etiam in ejus athmoſphæra natat, ſeque affigit corporibus in eadem collocatis, propagaturque non ſolum contactu ægri, ſed & rerum, quæ ægrum circumſtant, immo vero ſine ullo contactu per ſola effluvia in athmoſphæra ægri ſuſpenſa inficit.

Siquidem immunes ſerventur a peſte illi, qui cum infectis conſortium habuerunt, aut; qui vivunt in aëre, miaſmate peſtifero inquinato, hoc accidit ideo, quod

quod miaſma veſtes eorundem, vicinaque corpora contigerit, quibus vel penitus non adhæſit, vel tamen non ita arcte, ut a repagulis ſuis non fuerit per ullas cauſas liberatum, quam diu ab illo homine geſta fuerunt. Si vero converſatio diuturnior intimiorque fuerit, quam ut de ingreſſu miaſmatis in corpus converſantis dubitare poſſimus, neque tamen ille fuerit affectus, hoc factum ideo videtur, quod vel aëris conſtitutio huic miaſmati adverſaretur, vel vero ſpecialis *idioſymcraſia* hominem ita præmuniret, vi cujus hoc miaſma in proprio corpore debellare, & invertere potuerit, aut idem innocue cum humoribus circulans de corpore communibus emunctoriis, imprimis perſpiratione expellere.

An etiam diverſitas viæ, per quam miaſma in corpus ingreditur, in conſiderationem vocari debet? Ut & partis, quam primo afficit, indoles?

Æſtas

Æſtas in Europa plus favet peſti, quam hyems, an quia calor miaſma peſtiferum commovet, extricat, acuit? An quia ſuſcipiendo, communicandoque veneno plus aptus eſt eo tempore aër? An quod in ſubjectis ſuſcipientibus major diſpoſitio, pluresque cauſæ procatarcticæ?

Si nec aëris conſtitutio poteſt energiam miaſmatis extinguere, neque temperamentum ægri huic adverſetur, & miaſma integris ſuis viribus ingreſſum fuerit in corpus, poterunt tunc plurimæ *cauſæ* vitia in ſex rebus non naturalibus commiſſa, morbi varii, chronici, acuti, particulares, univerſales, ſporadici, & forte etiam epidemici, anſam præbere, ut hoc miaſma citius, aut tardius in corpore claudatur, figatur, cum humoribus miſceatur, accendatur, verbo: in actum deducatur: & febrim cum tota peſſimorum ſymptomatum ſyndrome producat. Neque ſemper procatarctica

alia cauſa indigere videtur, imprimis ſi energia majori polleat, peſtifera ejusdem indole procartarcticæ cauſæ munere fungente.

Miaſmatis acuties, & acrimonia, modus applicationis; ſuſcipientis ſubjecti ætas, vires, temperamentum, ſexus, cacochymia, morbi adjuncti natura, cauſarum enumeratarum procatarcticarum diverſitas, multiplicitasque, anni tempus, aëris conſtitutio, aſſiſtentium ægri, Medicique in morbi pertractatione officia faciunt, ut mirifice variet hic morbus quoad ſymptomatum faciem, magnitudinem, multitudinem, & pertinaciam.

Cur epidemici morbi peſtis tempore non obſervantur? An quia diverſa eſt aëri inducta conſtitutio? An quia reliqui epidemici morbi peſtis, utpote gravioris epidemiæ, larvam & malignitatem induunt, & ſub eadem latent?

Semel peſte graviter affecti, in eadem iterum conſtituti, minus facile affiiuntur;

cſa-

facilius vero, qui tantum leviter affecti fuerant.

Non eſt conſultum, uti alii volunt, in peſte curationis opus naturæ relinquere, cum materies peſtilentialis adeo maligna, & venenata eſſe ſoleat, ut ſat cito corpus deſtruat, & vires naturæ antea demat, quam illa contra morbum aſſurgere poſſit.

Indicationes ergo *curativæ* imprimis ad Diaphoreſin & ſudores promovendos dirigi debent. SYDENHAMUS ſudores per viginti quatuor horas protraxit, præmiſſa pro ægrotantis viribus, ac temperamento moderata venæ ſectione, ne prolectis ſudoribus petechiæ prodirent. Si vomitus, aut diarchœa medicamentorum uſum impediiſſent, jubebat ægros ſtragulorum pondere tegi, ut ita radios peſtilentiales, ad ventriculum & inteſtina intropulſos ad ſuperficiem corporis deduceret; ægro vero permadente,

& ſedatis vomituritionibus, diarrhœaque, ſudorifera propinavit ſequentia:

R. *Theriac. Androm. dr. ſemis.*
Electuar. de Ovo ſcrup. unum.
Pulv. e chel. cancr. comp. gr. Xij.
Cochinellæ gr. Viij.
Croci gr. IV.
Syrup. gran. Kermes q s.
Ut F. L. A. Bolus, quem ſumat ſexta quoque hora, ſuperbibendo cochlearia ſex Julapii ſequentis:
R. ▽ *Cardui benedict.*
— *Scord. compos.* $\overline{aa}$ *unc. iij.*
— *Theriacal. unc. ij.*
Syrup. Caryophyllor. unc. j.

M.

Inceptam jam diaphoreſim hauſtibus *Zythogalæ*, ſalvia alteratæ, vel cereviſiæ, cui aliquantulum macis incoquere juſſit, ſubinde repetitis, ad naturalis diei ſpatium continuare præcepit; abſterſione inte-

interim omni quam religioſiſſime interdicta, immo nec infra viginti quatuor horas a ſudoribus finitis induſium, utcunque madidum, ac immundatum mutari permiſit.

Si ſudores non eſſent ſatis diu protracti; nempe eo uſque, dum omnis materies morboſa e corpore fuerit expulſa, tunc plus noxæ, quam utilitatis afferre ſolent, nam ſubducta, quæ bubones attollere debuiſſet, materiæ parte, aut facile intro remanent, aut ſaltem ad legitimos abſceſſus nunquam perducuntur.

Si vomituritiones, & borborygmi cum indiciis ſaburræ primarum viarum conjungantur, emetica, & purgantia utiliter in uſum adhibentur.

Spaſmodicis affectionibus, & ſpirituum ataxiæ, quæ principio hujus morbi ſtipari ſolent, optime occurrit theriaca, quæ ſcopo ſudorifero præſcribi ſolet.

In fine morbi purgans antiphlogiſticum exhibuit SYDENHAMUS.

IDEM AUCTOR præter dictam methodum ſudoriferam commendat quoque antiphlogiſticam, & largas venæ ſectiones, ad quartam, aut quintam uſque vicem repetitas, quod morbum e genere inflammatoriorum eſſe cenſeret, facile rerum eventu ejus opinionem comprobante.

Si vero venæ ſectiones non nimis ſæpe repetantur, mortem inde accelerari credit, debilitatis ægri viribus, & materia morboſa non penitus de corpore exterminata.

Hæ quidem methodi Sydenhamianæ felices ut plurimum eventus in Londinenſi Epidemia habuerunt.

Sudores præſcriptis a SYDENHAMO remediis in omnibus ſubjectis prolici nec poſſunt, neque debent; & ſi epidemia per aliam viam amet materiam morbo-

ſam

ſam de corpore expellere, eandem ſequi Medicum obligat.

Quoniam vero de cutanea excretione promovenda plurimi Auctores ſoliciti fuerunt, & eandem plerumque exigere videatur ipſe morbus, de hac præcipue agendum erit. Et primo quidem dijudicandum erit, an naturam ſequi expediat? An vero vis vi repellenda ſit?

Quid per *naturam* in febribus intelligatur, unicuique ex theoria febrium notum eſſe debet. Hoc cognito igitur patet, non eſſe omnino certum naturam ſemper contra morbum pugnare; ea vero omnia, quæ contingunt ægris, ſive bona, ſive mala, pendent partim a viribus vitæ, partim a materia morboſa, fluuntque ex legibus phyſico-mechanico-phyſiologicis. Triſtes peſtis effectus, multiplex, & variata admodum in eadem morbi epidemia facies dicti veritatem confirmant.

Si natura peſtem ſanat, id facit inſenſibili perſpiratione, aut ſudoribus prolicitis, miaſma de corpore educendo, vel illud ſimul ad inguinales, axillaresve glandulas deponendo, aut etiam aliquando ad alia cutis loca, variis excitatis exanthematum ſpeciebus; hoc rarius accidit, & tantum in corporibus nullo morbo affectis, miaſmate minus maligno, & minus copioſo exiſtente, minusque humoribus intricato, corpore ad has evacuationes rite diſpoſito.

Si de prædictis conditionibus nobis conſtaret certo, ſufficeret naturam adjuvare potu copioſo, diluente, leniter diaphoretico, calido, ad plenum omnium ſymptomatum levamen uſque exhibito.

Ejusmodi vero morbi ſtatus magnam veriſimilitudinem faciunt vires bonæ; ſtructura ſolidorum mobilis; fluida copioſa, blanda, moderate mota; cauſa procatarctica mitis, facile ſuperabilis: horror aut nullus, aut levis; abſentia anxietatis

tis, vomituritionis, diarrhœæ, ceterorumque gravium ſymptomatum.

Poterit etiam copioſum miaſma in corpore rite diſpoſito tali methodo de corpore exterminari. Et ſi corpus in debita ad diaphoreſim, vel ſudores conditione conſtitutum non fuerit, debet arte illi talis conditio conciliari, ut miaſma minus acre, minusque fixatum prædicta via eliminetur.

Denique ſi miaſma non peſſimum intimius humoribus fuerit intricatum, quam ut ſpes ſit illud de corpore exterminandi, antequam gravius ſolida, fluidaque infecerit, poterit adhuc fieri, ſi vires bonæ, & temperamentum ægri admiſerint, ut poſt coctionem facta *criſi* ſudoribus de corpore exterminetur; atque tunc etiam medicus naturæ ſuppetias ferre poteſt, & debet.

Verum enim ſæpe ſæpius tanta eſt veneni peſtilentialis vis, ut ſtatim ac ſolida, fluidave intimius contigerit, ea tam ve-

hementer tamque celeriter permutet, ut natura antea opprimatur, ſuccumbatque, quam certamen aggrediatur.

Etſi in primo morbi aggreſſu non omnes naturæ vires penitus exhauriantur, fit tamen frequentius, ut dum conſtanter, & moderato conatu miaſma expellere nititur, id non antea exequatur, quam lethali vulnere ab invicto hoſte ſauciata morti, licet tardiori, non minus tamen certo deſtinetur; aut ſi magis feſtinanter, & tumultuarie, corpore præſertim non rite ad excretionem cutaneam præparato, efficere tentet, ſuis ipſa ſe prius armis interimat.

Quæ cum ita ſint,, non poſſum non ſummopere approbare ſummi SYDENHAMI conſilium, qui non leve calcar naturæ addendum eſſe cenſet, ut corpore rite proportionato copioſis, & efficacibus medicamentis, & celeriter provocatis ſudoribus, miaſma de corpore exterminetur, quod natura periculi ignara,

nara, moderata licet febri, & vulgari medicamine adjuta, aut nunquam aut admodum raro perficit.

Qualicunque autem ſcopo provocentur ſudores, ſpecialem attentionem ſibi expoſcunt ægri temperamentum, regimen, vires, vehiculum & impedimenta ſudoris.

Hinc patet ſtrictis, calidisque, quorum humores ſunt denſati, majorem copiam diluentium convenire, minorem ſtimulantium; e contra debiles, craſſos, molliores cum diſſolutis humoribus, ſtimulantium doſim majorem poſcere, diluentium minorem.

Regimen ſit calidum, induſia frigida ne induantur, vires cardiacis moderari, & ſuſtineri debent, iisdem tamen pro caſus varietate multum mutatis. Præſenti phlogiſtico incendio, & pulſu forti, duro, celerique exiſtente nil boni a ſudoribus exſpectandum, antequam antiphlogiſticis æſtus hic fuerit exſtinctus; ſi vero cum pulſus debilitate, ac virium muſcula-

cularium proſtratione inflammatio topica, aut etiam ardor circa vitalia obſervetur, vegetabilia, ſaponacea, acida, antiſeptica, & leniter aromatica indicantur. Abſente inflammationis periculo, & viribus multum collapſis, ſtimulantia alexipharmaca omnis generis in uſum vocari debent, talia ſunt: vinum cortex peruvianus (a), caſcarillæ, camphora, ſcordium, ruta, ſaliva, rad. angelicæ, contrajervæ, ſerpentar. Virginianæ, vincetoxici, petaſitidis, dictamni, carlinæ, ſileris, zedoariæ &c.

Subtiliſſima volatilia, eaque efficaciter ſtimulantia, celeriterque penetrantia requiruntur, ubicumque virium, pulſusque languor, ſtupor, vertigo, balbuties, ceteraque ineuntis apople-

xiæ

(a) Medicamenta autem hæc debita, & ſufficienti doſi propinari debent, uti quidem cort. peruv. nychthemeri ſpatio ab unc. j. ad unc iij. Camphora a drach. β. ad drach. iij.

xiæ indicia ſe ſe manifeſtant. Talia ſunt: alcalia volatilia; olea eſſentialia, ſuccini, rutæ &c. ſal ſuccini, camphora, moſchus, ambra, zibethum, crocus, ſpiritus cornu cervi ſuccinatus, ſpiritus Mindereri, aceta medicata, liquores acidi minerales dulcificati.

Diluentia cardiaca in ſumma virium proſtratione, & humorum diſſolutione minus conveniunt, quia ſanguini adhuc majorem quantitatem aquoſi laticis ſuppeditant, eumque plus attenuant.

Impedimenta ſudorum & perſpirationis ſunt in *ſolidis*: ſpaſmus cutaneus ab acrimonia, anxietate, jactatione, animi affectu, frigore, vaſorum rigiditate, & ſtrictura. In *humoribus* ſpiſſitudo, liquidi defectus, plethora, motus nimius, ſive parvus, ſive ad interiora determinatus in vomitu, diarrhœa, in ſaburra primarum viarum verminoſa, bilioſa, putrida, fermenteſcente, acri, viſcida &c.

His

His impedimentis tollendis pro cauſæ varietate varia auxilia in uſum vocari poterunt. *Externa*: V. S. lavamenta, fomenta, frictiones, veſicantia, calor ſtragalorum ope productus, corporis quies. *Interna*: emetica purgantia, plerumque leniora, non ſæpe repetita, opiata, & antiphlogiſtica, præſertim in ventriculi inflammatione, potus copioſus, calidus ſaponaceus, emolliens, plus aut minus cardiacus, anthelmintica, alvum conſtipantia, vomitum tollentia adhibentur.

Nauſea, & vomitus producitur a ſaburra primarum viarum, ataxia ſpirituum, inflammatione ventriculi, & vicinorum, radiis peſtilentialibus ad interiora delatis, cerebro graviter affecto, ventriculi ſenſibilitate. Non igitur eodem ſemper medicamento tolli poterunt hæc mala, quandoque nullam curam internam admittunt, ſed compeſcuntur regimine calido, fomentis, cu-

cur-

curbitis, cataplaſmatibus, veſicatoriis &c.

Alvus mala eſt, quatenus debilitat, perſpirationem impedit, & miaſma in corpore detinet; peſſima colliquativa. Tamen alvus moderate fluens, quæ ſaburram primarum viarum evacuat, aut etiam partem morboſæ materiæ eliminat, ſi perſpirationem & ſudores non impediat, non debilitet, & levamen afferat, eſt permittenda; immo vero ſi aperta non ſit, ſaburra in primis viis exſiſtente, ſollicitari debet blandis eccoproticis, quæ perſpirationem tamen non multum impediunt, id eſt, diluentibus, aut diaphoreticis junctis. Excedens, aut ſymptomatica alvus moderanda eſt, alias emollientibus, vel ſtimulantibus, vel utrisque, narcoticis, roborantibus, clyſmatibus, fomentis.

Cruda ſymptomatica alvus ſine primarum viarum ſaburra obaudit diaphoreticis, adſtringentibus, opiatis, fomen-

mentis abdomini calide applicatis, veſicantibus, calidoque regimini &c.

Alvus cum virium proſtratione, putrida, fœtens, liquida, eſt fere ſemper exitialis, forte ſolus cortex, & acida mineralia levamen poſſunt adferre.

Anxietas pro diverſitate cauſæ jam opiata, jam emetica, & purgantia, jam reſolventia, jam antiphlogiſtica, jam diaphoretica expoſcit.

Reliqua impedimenta facile tolluntur cognita ex doctrina generali ſymptomatum febrilium, tum etiam ex intellecto *Inſtitutionum* BOERHAAV. §. 1179mo.

Qui ante peſtem phthiſi, aliove morbo chronico affectus fuit, ejus quoque conſideratio in peſte haberi debet. Qui pleuritidem, peripneumoniam, ſynochum putrem in peſte experitur, ſive illi morbi a miaſmate, ſive aliunde producti fuerunt, curam poſcit eorum morborum, cum peſtis ſcilicet compoſitam.

Si

Si miaſma peſtiferum indolis ſit peſſimæ, intimius humoribus mixtum, ſi morbus fuerit protractior, cauſa procatarctica ſuperatu difficilior, obſtacula ſudorum magna, & multa, morbus adjunctus pertinacior, ſymptomata graviora, & horror in primis, quo morbus incepit, diutius duraverit, tum quandoquidem nullo ſpecifico corrigi, aut inverti miaſma poſſit medicamento, nil ſupereſt, quam ut corpus ita diſponatur, ut minus ab hoc miaſmate afficiatur, & ut indicationibus febrilibus generalibus ſatisfiat, ſemper ad cauſam procatarcticam, morbum adjunctum, temperamentum reſpiciendo, & ad indicationes in antea *cit.* §. *Inſtit.* BOERHAAV. contentas reſpiciendo; numquam vis naturæ inferatur, tunc vix poteſt hoſtis ſimul & ſemel unico quaſi ritu profligari, ſed lente id erit præſtandum, materiesque ad loca tutiora releganda. At! quantum in coactio-

ne periculum, quam lubricum naturæ cum tam diro hoſte certamen!

An iteratis V. S. vires vitæ debilitando cavendum erit, ne ſolida æquo plus lædantur, fluidaque accendantur? ſi quid tentandum, mature certe, & viribus etiamnum valentibus, & audacter eſt tentandum.

Opium ob vim, qua ſpaſmos compeſcit, perſpirationem promovet, nervis ſenſibilitatem tollit, multa ſpondet. At viribus dejectis; capite ſopore detento, ſaburra in primis viis ſtabulante, minus indicatur.

Cortex peruvianus, caſcarillæ, camphora, nervorum ſyſtema firmando, humorum putredini reſiſtendo, magnum naturæ levamen adferre poterunt.

Veſicantia in virium languore, ſcopo diaphoretico, alvum ſiſtente, atque aliis indicationibus ſatisfaciunt.

Frictiones, fomenta, balnea ſcopo diaphoretico, cardiaco, emolliente, di-

luen-

luente, inteſtina & ventriculum roborante poterunt aliquando in uſum advocari.

Mercurialia præparata tum vermium, tum perſpirationis cauſa adhiberi poſſunt, ſed humorum diſſolutioni nimium favent.

Sudores ab ipſa natura provocati poſſunt eſſe pernicioſi, ſymptomatici, colliquativi; ii vero nocent, quatenus ſolida, fluidaque accendunt, ſanguinem phlogiſtice inſpiſſant, aut eidem acrimoniam & colliquationem conciliant; producunt ſynóchum, vires dejiciunt, depoſitionem perfectam ad loca convenientia impediunt, naturam in opere turbant; ſi vero calidis datis medicamentis iidem non exprimantur, poteſt fieri major ſiccitas, calor, capitis infarctus, & plura alia. Ad eosdem moderandos, aut ſupprimendos conferunt imprimis regimen, temperamentum, cortex peruvianus, acida, mineralia, ſalvia &c.